

E Prov. Hollandica. — *Iubilaeum aureum professionis Pl. R. P. Provincialis Lud. Wouters.* — Digno splendore haec celebritas peracta est Noviomagi, in novo magnificoque iuvenatu montis Nebo, die 19 Octobris. Iuvenistae, circ. 150 numero, veneratissimum Provinciae Superiorem ac novi collegii fundatorem ovantes iam in pervigilio diei festi in aula maxima

salutarunt. Postero die Pater iubilatus in ecclesiae S. Gerardi a se aedificata Deo O. M. sollemni ritu sacrificium laudis et gratiarum actionis litavit atque dein vota sua religiosa publice renovavit. Iam intra Missam ipsi a contionatore Adm. R. P. Mol haud incongrue verba Domini adaptata erant: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum* (Mat. 5,19).

Profecto is, cui haec sollemnia dedicabantur, non modo ipse praecepta et consilia evangelica his 50 annis fideliter servare satagit, sed etiam aliorum multorum dux et doctor salutis evasit. Primo enim, studiis magno cum successu absolutis, per annum tirones nostros artem rhetoricam docuit et per 15 annos missionarius foris fuit, et domi, praesertim Amstelodami, confessarius a multis expetitus. Iam tunc articulis nonnullis de systemate morali Alfonsiano publicatis demonstravit, quantopere se his studiis dicaret; at multo magis in hac provincia profecit, postquam a. 1904 Lector theologiae moralis nominatus est, primum in studentatu Wittemiensi, annis 1909-1911 in nostra Schola Maiore recens erecta, deinceps denuo Wittemii. Huius domus Rector creatus est a. 1918, magisterio tamen interim non plane dimisso, et inde ex a. 1924 totius Provinciae regimen suscepit. In ultimo Capitulo generali ut I Vocalis Provinciae suae fructuosam operam contulit ad Regulas et Constitutiones nostras Codici adaptandas et perpoliendas.

Longum esset et Iubilarii modestiam offenderet, si hinc singillatim enumerare vellemus omnia eius praeclara merita, sive de domo Wittem, sive de universa Provincia, sive etiam de aliis (peculiariter enim etiam de Monialibus nostris a SS. Redemptore et de novis aliquot foundationibus Provinciae Germaniae Inf. promeruit); redeamus igitur ad describendam festivitatem.

Ei interfuere non modo omnes Rectores Provinciae, sed etiam Pl. R. P. C. Meersdom, Superior Provinciae Belgicae, in qua P. Wouters nunc ipsum canonicam visitationem extra ordinem peragit, et deputati trium aliarum Provinciarum: Lugdunensis, Germaniae Inf., Parisiensis. Facile igitur coniici potest sermones gratulatorios haud paucos inter epulas habitos esse. Diei festo dignum finem imposuit fabula dramatica clarissimi Calderonis « Novum diversorium pauperum », in SS. Eucharistia gloriam magna arte conscripta, quam iuvenistae universali cum applausu vesperi repraesentarunt.

Nos quoque veneratissimo Iubilario de immensa messe decem lustrorum gratulamur ex animo, idque a Deo precibus petimus, ut de successu in successum prospere procedat per multos annos et in aeternum in caelis regnet.